



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

facturus sum: qui tam multos sanctos excruciaui, vt Valeriano gratificarer? Verianus dixit: Forsitan ego amens effectus sum, qui aliter, atque haecenus, docere videam magistrum & amicum principum. Sed ne, quæso, isthuc prodero in publicum velitis, quandoquidem huius doctrinæ professores vos persecuti estis. Secundianus ait: Audite me, & credamus Christum Iesum esse Deum, idque vel eorum exemplis permoti, qui usque adeo cupiunt huius vitæ iacturam facere, vt æternam lucrentur. Verianus respondit: Si est aliquid æternum, par est illud nos inquirere. Secundianus dixit: Ego id, dum multorum fundo sanguinem, cognoui.

Timotheus
presbyter.

Eadem hora miserunt ad Timotheum presbyterum de titulo Pastoris. Eum ad ipsos intrantem salutant: ille respondet, Pax vobis: sperans ad martyrii certamen in eundem accersitum se esse. At verò Secundianus quamprimum se abiecit ad pedes eius, ita dicens: Oro te per Christum, quem prædicas, ne mihi moras nectas, sed baptizes me in eius nomine. Idem rogârunt Marcellianus & Verianus. Itaque beatus Timotheus cum eos catechesi instruxisset, baptizauit eos: accirusque beatus Sixtus Episcopus, consignauit eos. Ab ea autem die coepere facultates suas erogare in pauperes. Porro post menses duos Valerianus præfectus de Secundiano inquisiuit, quem dicebat Christiana religione initiatum, & cum illo simul Marcellianum & Verianum scholasticos. Ait autem Valerianus: Equidem Secundianum putavi constantem fore: sed si vera sunt, quæ audio, certè imbecillus est. Scripsit verò ad eum tanquam amicitie causa, epistolam eiusmodi: Fratri Secundiano togato Valerianus præfectus: De amicitia nostra sollicitus, quod præter morem non ades consilij nostris, multum admiror. Sed quæso, vt venias ad nos: sunt enim, quæ tecum de republica tractare velimus. Maturè fac ad nos accedas. Hanc epistolam ubi legit Secundianus, dixit ad Marcellianum & Verianum: Viri fratres, eni tempus nostrum adest. Accingamus nos ad bellum: iam armis fidei communiti, ponamus metum omnem. Ego solus ibo ad Valerianum. Responderunt illi: Et nos tecum ibimus, quicquid tandem euenturum sit nobis.

Catechesi
imbuuntur
& baptizatur,
& à beato Sixto confirmantur.

Iuerunt igitur diluculo omnes tres absque mora ad Salustij palatium, ubi tum Valerianus erat cum Decio. Sedente autem Valeriano in basilica Asclepij, cum ad eum intraret Secundianus, subito mutatus est vultus eius, vt planè Angelicus videretur. Ait verò ad eum Valerianus: Vir eloquentissime, & artium omnium peritissime, Secundiane, quidnam est isthuc, quod audio de te? Secundianus respondit: Equidem nihil tibi dixi: quid est autem, quod audisti? Valerianus ait: Didici ex alijs, te mentis inopem esse. Secundianus respondit: Ego verò sapiens effectus sum. Valerianus dixit: Audio te Christianum velle appellari. Secundianus ait: Et tu, si sapieres, idem velles. An non memoria tenes, quales & quot domini mei, mundum & opes omnes contempsere, vt possent vitam adipisci sempiternam? quos ego miser, tua obsecundans voluntati, cruciabam & afflegebam in meum dedecus & ignominiam æternam: sed credo tamen & spero veniam me impetraturum à Domino meo Iesu Christo, quandoquidem ignorans feci. Valerianus dixit: Itane ergò Christianus effectus es? Respondit Secundianus: Et verò Christianus. Subridens Valerianus præfectus, dixit: Noli te vel à nostra, vel Cæsaris amicitia alienum efficere. Secundianus respondit: Sit tibi tua amicitia, quam, certum est, inimicam esse creatori nostro. Valerianus præfectus ait: Num qua tibi à me haecenus irrogata est iniuria? Ego veterem amicitiam tuam non contemno, sed te curatum cupio. Deinde iussit eum in custodia seruari. Cum autem duceretur ad carcerem, Marcellianus & Verianus clamabant: Cur includitis hominem innocentem? Quòd si causa nominis Christi id facitis, & nos Christiani sumus. Mox relatum est ad Valerianum præfectum de his duobus. Ille verò iussit eos pariter custodiae mancipari.

Secundiani
constantiani.

Marcelliani
& Veriani
praclara
confessio.

Indè ad Decium Cæsarem ingressus, inuenit eum lætissimum, dixitque ei: Suggesto pietati tuæ, Secundianum togatum, virum sapientissimum, ad Christianorum consuetudinem accessisse. Respondit Decius: Id prorsus incredibile est, cum ille haecenus poenis affecerit omnes qui Christi nomen inuocarent. Valerianus ait: Ego illum examinatum iussi in custodia haberi. Decius Cæsar dixit: Maturius ad me adducatur. Postera ergò luce coram Cæsare exhibitus est, qui sic ait ad eum: Quid iram mutatus est vultus tuus Secundiane? Respondit ille: Puto meliorem & iaculentiorum eum esse. Videns autem Cæsar Decius vultum eum Angelicum præ se ferre, subridens ait: Adhibe in consilium priscam sapientiam tuam. Secundianus dixit: Immo stultitiam, Deo inimicam. Decius ait: Quem ergò te profiteris? Secundianus respondit: Christianum, Decius

Itemque
Secundiani.

Decius Cæsar dixit: Faceſſat hæc inſania peſtoris tui, & viuas. Secundianus reſpondit: Tu potiùs recede ab inſania tua, & viuas, qui reuerà viuens mortuus es. Iratus Decius iuſſit Secundianum, Marcellianum & Verianum in exilium deportari. Valeriano præſecto ſciſcitante, quem in locum relegari eos vellet, Decius reſpondit: Ducantur Centumcellas ad Conſularem Promotum, iſque compellat eos dijs ſacrificare.

Ducti ſunt ergo eodem die Centumcellas à militibus, & traditi Quarto Promoto conſulari. Eo iubente truſi ſunt in cuſtodiam, cum ei mandatum eſſet, nè eos viuere pateretur, ſi nollent dijs offerre ſacrificia. Deindè iuſſit ſibi apparari tribunal in foro, atque illic coram ſe ſtatui ſimulacrum Saturni in tripode, ſimulque Secundianum, Marcellianum & Verianum adduci, iſque ità ceu egregijs Chriſti athletis præconis voce dici: Introducantur huc in Cæſares contumaces, & erga deos obſtreperi & rebelles. Illis introductis Promotus ait: Cur non obtemperâſtis edictis principū, & dijs ceruices veſtras atque animos ſubmiſiſtis? Secundianus reſpondit: Nos omnipotentis Dei iuſſa capeſſimus, non diaboli. Promotus dixit: Audi me vir ſapientiſſime, & ſacrificate dijs. Martyres reſponderunt: Si digni ſumus, noſ ipſos cupimus Deo offerre ſacrificiū, non dæmonibus ſacrificare: cum quibus vos & principes veſtri iam æternum damnati, ad tempus facitis ea, quæ illorum ſunt benè grata voluntati. Tum Promotus iuſſit eos expoliatos fuſtibus cædi. Illi verò dum verberarentur, clamabant: Gloria tibi Domine, quòd meremur admitti in requiem tuam. Indè præcepit eos Promotus erigi, dixitque eis: Sacrificate dijs: en hîc præſtò eſt ſimulacrum. In quod cum illi expuiſſent, ſubitò illud corruit, & comminutum eſt.

Sancti martyres fuſtibus cæduntur.

Id cernens Promotus, ira commotus, voluit vt in eculeis ſuſpenderentur, & eorum latera vngulis raderentur. Interim dicebat eis, vt dijs ſacrificarent. At illi ſuſùm erectis luminibus, aiebant: Gratias tibi agimus Domine Ieſu Chriſte. Tum Promotus iuſſit ad eorum latera flammæ admoueri: dumque illi ſic torrentur, repente vnus ex carnificibus extinguitur: alij à dæmonibus arrepti, clamant: Cur nos torquetis ſancti Dei? Tulit verò in eos ſententiam Promotus, vt capite punirentur, & corpora eorum in mare iactarentur. Ducti ſunt igitur in locum quendam ſexageſimoſecundo milliarjo ab vrbe Roma, illicque decollati ſunt, & corpora proiecta in mare. Eadem nocte quidam Chriſti ſeruus, Deodatus nomine, à maris litore ea abſtulit, & mandauit ſepulture apud eum locum, quo capite cæſi ſunt, quinto Idus Auguſti, vbi illorum vigent orationes, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In eculeo vngulis latera raderantur. Flammis latera vruntur.

Capite placentur.

GESTA PRÆCLARA ILLUSTRISSIMI MARTYRIS ET ARCHILEVITAE LAURENTII, QUIBUS CONTINENTUR MULTORUM ALIORUM EGREGIA CERTAMINA, PUTA, SIXTI PAPÆ, POLYCHRONII, ABDONIS, SEMNES, HIPPOLYTI &c. EX HIS GESTIS B. AMBROSIIUS NON PAUCA AD VERBUM FERÈ DESCRIPSIT. QUOD SUB DECIO AUTEM PAſſI SCRIBUNTUR SIXTUS PAPA & LAURENTIUS CUM PLE

RISQUE ALIJS, ID DOCTI VIRI PUTANT INDÈ ACCIDISSE, QUOD QUIDAM CONFUDERINT DECIO CUM VALERIANO. SED TAMEN HAC IN RE PUTO NILI TEMERÈ PRONUNCIANDUM. STYLUM, VBI EXPEDIRE VIſUM Eſt, MODICÈ EXPOLIUIMUS. EXTANT VERÒ MULTI SANCTIſſIMORUM PATRUM SERMONES, QUI CONFIRMANT HANC HISTORIAM: NUMERUM CAPITUM MARGINI ADIECIMUS.



RTA tempeſtate ſub Decio, multi Chriſtianorum necati ſunt. Præſidente in Vrbe Galba, pergit Decius ad Perſas, cum illorum bello vrgeretur. Veniens autem ad ciuitatem Ponticam, ſedit in ea, licet bello premeretur. Aſcendit autem in montè Medorum: & cum confliſſet cum Perſis, obtinuit victoriam, & è Perſis multos interfecit, occupauitque Babyloniam, Baſtrianam, Hyrcaniam & Aſſyriam. Vbi cum multos inueniſſet Chriſtianos, eos iupplicijs & afflictionibus vexatos necauit. Erat tum Babylonie Epicoſopus Polychronius cum preſbyteris Parmenio, Elima, Chryſotelo, & Diaconis Luca & Mucos.

Auguſti 10. Cap. 1.

Decius Cæſar vincit Perſas.